

habituales quatenus nempe adhuc manet in ipso obligatio satisfaciendi, vel dignitas ad penam ex actu praeiterito contracta, quae non potest dici voluntaria, nisi casualiter, quatenus, scilicet voluntaria fuit in causa; quia enim in hac obligatione, & dignitate poenae contracta fundatur ius Dei ad rationabile odium peccatoris, neque hac obligatio ex parte creaturae, & ius acquiritur ex parte Dei tolli possunt per qualemcumque retractationis actum; ideo potest etiam retractatione adhuc peccatum manet in ratione voluntarii quantum sufficit ad moralem eius permanentiam, ut supra dicebam num. 22.

125 Quenam autem sit ratio voluntarii, quae cessat in peccato posita retractatione, & quodnam voluntarium adhuc permaneat sufficiens ad rationem peccati habitualis sic eruditè declarat Card. de Lugo *disp. 7. c. 1. s. 8. num. 135*. Manet enim modo peritium v. g. voluntarium in ordine ad rationabile odium Dei; non tamen manet voluntarium in ordine ad praesumendum, quod modo apparet homo illud si interrogaretur, imò in hoc sensu manet involuntarium post retractationem; quare in ordine ad diversos effectus non est inconveniens, quod peccatum post retractationem maneat simul voluntarium, & involuntarium; sicut etiam votum non ablatum a superiore, retractatum tamen à vovente manet moraliter in ratione voti, & per consequens in ratione voluntarii; votum enim essentialiter est voluntarium in ordine ad obligandum, non minus quam si nunc voluntarie fieret; & tamen per retractationem manet simul in alio sensu involuntarium, quatenus manet sine fundamento ad praesumendam approbationem voventis, si nunc interrogaretur; si quidem haec praesumptio fundabatur in negatione retractationis quae per actum contrarium ablata, cessat talis praesumptio, & ratio voluntarii in ea fundata. Ex qua doctrina valde notanda tollitur instantia Morandi *quæst. 26. c. 2. n. 264*, ubi inquit permanentiam moralem peccati habitualis tolli etiam per solam attritionem; quia ipsa sola facit peccatum involuntarium; Falsum enim omnino est illud assumptum, ut constat de habente attritionem ante sacramentum, in quo adhuc peccatum moraliter permanet; quod licet factum sit involuntarium in ordine ad praesumendum; quod modo approbaret peccator actum peccaminosum praeiteritum, adhuc tamen manet voluntarium in ordine ad rationabile odium Dei, quod solum voluntarium est de ratione peccati habitualis.

126 Quarto arguit Soto, non potest Deus remittere peccatum homini, nisi eum diligere, & in gratiam suam recipiendo; non potest autem eum diligere, nisi illius voluntatem convertat per proprium actum; ergo non potest Deus remittere peccatum sine proprio peccatoris actu. Conf. quia in justificatione non tantum Deus convertitur ad nos, sed nos etiam ad Deum, ut habetur Zaccar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; sed per gratiam habitalem Deus utique convertit ad hominem, quem reddi sibi gratum, & amicum; homo vero convertitur ad Deum per proprium actum; ergo hic actus est simul necessarius ad justificationem.

127 Respondeo argumentum probare pliusquam velint Adversarii; probat enim ad justificationem necessarium requiri actum contritionis, sed dilectionis siquidem nulla alia conversio habet tantam oppositionem cum aversione peccatoris a Deo, & tamen de fide certum est attritionem cum sacramento sufficere ex Trid. Itaque potest in primis negari maior, quia Deus potest remittere peccatum, & placari ita quod homo non sit ei amplius inimicus, nec velit vindicare commissum abique hoc, quod recipiat eum adamicum specialem, ut dictum est *quæst. 1. praef. ex Soto 4. disp. 1. quæst. 6. E.* Item concessa majori, potest negari minor; sicut enim per peccatum habituale erat tantum habitualiter aversus à Deo ita per solam gratiam circa quemcunque ius actum redditur habitualiter conversus in Deum; haec enim sola sufficit ad destruendam aversionem moraliter permanentem in obligatione satisfaciendi, vel dignitate, & ordinatione ad penam; & quamvis ex lege ordinaria in natura rerum fundata hoc Deus non faciat sine hominis dispositione: haec tamen necessitas dispositionis non est tanta, quin de ablata potentia possit sine ea hominem justificare. Ad Conf. totum argumentum procedit de potentia ordinaria; absolute tamen loquendo, sive auctore sumatur pro carentia gratiae, sive pro denominatione relicta ab actu peccaminoso praeiterito, sufficienter tolli potest per solam gratiam habitalem, qua Deus convertens se ad hominem, dum reddit eum sibi gratum, & amicum, reddit quoque ad seipsum conversum, dum remittit eius culpam, quam homo dicebatur aversus à Deo; ut exemplo Solis declaratum est supra num. 119.

128 Quinto tandem arguit Amicus; si posset Deus remittere peccatum habituale abique proprio actu retractativo peccatoris; posset etiam remittere peccatum actuale, manente actualem dependentiam adus peccaminosi à voluntate peccatoris, quod est falsum: consequentia probatur, quia per Adversarios, ideo potest Deus remittere peccatum habituale, abique actu retractativo peccatoris; quia potest ponere formam quae aequivalenter

talent moralem dependentiam tollat, qualis est gratia habitualis; sed potest Deus eandem gratiam cum eodem affectu remittendi peccatum actuale conferre peccatori actu peccati ergo &c. Conf. nam per Adversarios ideo potest Deus peccatum remittere abique actu retractativo peccatoris, quia potest unus homo remittere offensam alteri abique proprio actu ipsius offendentis: sed potest unus homo non solum remittere habitualem offensam, sed etiam actualem abique proprio illius actu; ergo &c.

Respondeo ex dictis præc. qu. ad idem argumentum num. 97, 129 negando paritatem, quia in casu remissionis peccati habitualis nulla sequitur implicatio, ut in remissione actualis, dum actu committitur, ut ibi ostensum est: tum quia, qui actualiter peccat actu ponit obicem justificationi, & infusioni gratiae; qui vero abique peccato actuali non se disponit ad illam, nullum ponit obicem; & ideo licet actualiter peccanti non possit dari gratia, bene tamen peccatori habituali; licet enim non sit dispositus, attamen non ponit actualem obicem, imò supponitur aliquoties dispositus saltem per tacitum consensum recipiendi gratiam, quod de peccante actualiter dici non potest, quare ad probationem consequentiae rursus neganda est minor. Dices gratia est forma opposita peccato tam actuali, quam habituali; ergo peccatori insula utrumque destruitur potest. Concesso antecedente, negatur consequentia de peccato actuali, quia de illo urget specialis implicatio, quia si Deus remitteret peccatum in eodem instanti, quo committitur, tunc simul esset, & non esset, peccatum enim in eo instanti, in quo remittitur, verè non est. Ad Conf. paritas illa à nobis assumpta de homine offensam remittente sine actu retractativo offensantis valet quidem de offensa habituali, non autem de actuali; unde non legitur, quod si homo remittere potest offensam actualem possit quoque Deus: ratio disparitatis est, ut notat Coninch. *disp. 2. de poenit. numero 160*, quia homo sive iuste, sive iniuste sapere potest consentire, ut hoc, vel illud faciam, & hoc ipso definit esse ei iniuriolus; nam scienti, & volenti non fit iniuria; implicat autem Deum consentire, ut mentiar, vel blasphemem, aut mihi dare veniam ea facienda; & consequenter implicat, ut ea faciendo non sim ei iniuriolus.

Subdit tamen Coninch, posse nosse Deum unquam ullam peccatum punire; nec enim est quidquam quod eum cogere possit, ut velit peccata punire; & sic quamvis peccando fieret aliquo modo radicaliter dignus poena, tamen actu non contraheret ullam obligationem subeundi poenam, quia haec supponit in offensa voluntatem peccata puniendi, sicut obligatio solvendi debita supponit credere vel debitorem solvere. Hoc etiam addit à Coninch, verum est, non tamen ita intelligendum, quod in eo casu non amplius peccatores effemus, quia peccatum habituale, ut loco dictum est, non in ea obligatione consistit subeundi poenam ortu ex actu divino voluntatis peccata punire volentis; sed in illa dignitate ad poenam, vel obligationem subeundi poenam ex peccato ipso contracta, quae proprie dicitur reatus culpae, & in qua fundatur ius Dei ad rationabile odium peccatoris, & vindicandi peccatum, si ei placuerit; cui iuri cedere non intelligitur, etiam hominum peccata punire non vellet: quod si tali quoque iuri cederet, tunc nobis non tantum poenam, sed etiam peccata remitteret, quo eam puniendi non essent homines nec verbaliter, nec nominaliter; cum enim supponatur Deus iuri suo cessisse, intelligendum pariter est cessare in nobis dignitatem poenae, in qua consistit habituale peccatum, & in qua fundatur ius Dei ad rationabile odium peccatoris, ut supra discussum est num. 328, 329, & 361.

QUESTIO QUINTA.

Quomodo se habeant ad invicem in justificatione infusio gratiae, & expulsiō culpae.

131 Non semel dictum est supra infusionem gratiae, & remissionem culpae ex quibus integratur justificatio, non unam simpliciter importare mutationem, sed duas, quarum una est realis, & positiva, & est transitus à privatione gratiae ad ipsam gratiam, altera negativa, vel positiva rationis, & est transitus à peccato, vel culpa in negationem culpae; quae doctrina non solum traditur à Soto *4. disp. 16. qu. 2.* sed etiam à Concil. Trid. *sess. 6. cap. 7.* cum inquit *justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed et renovationem &c.* Illa tamen duae mutationes per modum unius describuntur ab eodem Trid. *cap. 4.* dum ait, *justificationem esse renovationem à statu peccati ad statum gratiae*; quia illae duae mutationes regulariter, & de facto sunt connexae, quia ratione expulsiō quoque frigus una celeriter mutatio cum introductione caloris, licet re vera sint duae, & ab invicem separabiles. Neque circa hoc, nisi forte de nomine, est in Scholis controversia, quia omnes infusionem gratiae, & expulsiōnem culpae aliquo modo distinguunt, ut duas mutationes

ratione, & solum discrepantia esse videtur, ut notat Turrian. *opus. 5. disp. un. dub. 3.* aliter huiusmodi mutationes per justificationem importate sunt inter se connexae, an physice, & ex natura rei; sicut per ductio frigus est corruptio caloris; an potius moraliter tantum, & ex communi lege.

132 Ergo igitur supposito, nempe quod justificatio habeat duas importet mutationes, & de facto necessario connexas; quaeritur in presenti quem ordinem inter se servent prioritatis; & posterioritatis; & quidem non est dubitatio de prioritate, & posterioritate durationis, vel temporis, cum etiam certum sit apud omnes exercitium infusionis gratiae, & expulsiōis culpae in eodem instanti temporis fieri, uni intrinseco, alteri extrinseco; nam si fieret in diversis instantibus cum inter haec dari debeat tempus medians, ut constat ex 6. Phyl. in eo tempore intermedio, vel anima nec peccatum, nec gratiam haberet; vel haberet utrumque simul, quorum utrumque absurdum est, ac à fide, & veritate alienum; sermo itaque est de prioritate naturae quae ad causalitatem sufficit, si est cum aliqua dependentia posteriori ab eo, quod dicitur natura prius. Hae itaque duae sunt opiniones oppositae; Prima affirmat infusionem gratiae esse priorem expulsiōnem culpae, quae communiter tribuitur Thomistis; licet non eodem modo id explicent quidam enim dicunt ratione agentis infusionem gratiae esse priorem, ratione verò passivi, & mobilis expulsiōnem culpae esse priorem. Alii verò dicunt infusionem gratiae esse priorem in genere causae formalis, & expulsiōnem culpae esse priorem in genere causae materialis, quod declarat exemplo venti fenestram priorem, & aulam ingredientis, nam in genere causae efficientis prior est ingressus venti; in genere vero causae materialis aperiō fenestrae.

Alteri verò asserit inter expulsiōnem culpae, & introductionem gratiae nullum propriè dicit ordinem causalitatis, sed si aliquis datur, dicitur expulsiōnem peccati esse priorem ordine executionis introductione gratiae, licet haec sit prior ordine intentionis; & haec communiter loquuntur Scotistas, eo quia Doctor. *4. disp. 16. qu. 2.* in ea calce movens hoc absurdum in terminis de remotione culpae, & infusione gratiae, quoniam earum mutationum sit prior; respondet, quod via generationis prior est expulsiō culpae, vel perfectio infusio gratiae, & quod Deus in justificatione impit, licet ordine intentionis prius velit ipsi gratiae infusionem, quam culpae remissionem; ordine tamen executionis prius vult illi non inesse culpam, quam inesse gratiam; & ita loquuntur Scotista ibidem Arctinus *art. 4.* Hiribar. *disp. 1. 4. sect. 6.* Faber de poenit. *disp. 17. c. 3.* Vulpes *disp. 24. art. 10.* & alii antiquiores.

133 Hanc etiam defendit Auctor controversiarum inter Scotistas *p. 3. cont. 27.* ubi conclusionem prima oppositam nobis tribuit sententiam *disp. 5. de gen. & corrup. q. 4. nu. 107.* eo quod loquentes ibi de introductione novae formae, & expulsiōne veteris ait, non dixisse hanc esse causalem ideo nova inducitur, quia antiqua expulsiō, hinc inquit non affirmare priorem esse inductionem formae novae ipsa expulsiōne antiquae, cum expulsiō sit effectus introductionis formae. Hic auctor confusio, vel potius pervertit terminorum maxime assuetus, non solum ita procedit sensu sententiam proponendo, sed etiam aliorum placita referendo; Fateor me *loc. cit.* doctissime priorem esse inductionem formae novae expulsiōne antiquae, cum expulsiō sit effectus introductionis formae; & ita consequenter loquendum censo in presenti questione; At nunquam dixi hanc esse causalem ideo nova forma inducitur, quia antiqua expulsiō, imò ibidem num. 107. conceptis verbis, ac ore rotundo dico absolute loquendo rem est contra se habere, & solam causalem illam esse absolute veram quia forma nova inducitur, ideo prior expulsiō, ut quilibet oculus habens videre potest; si enim illam causalem, quam mihi tribuit, adversissem, nempe ideo nova inducitur, quia antiqua expulsiō, non nisi stultè proptus potuissem inde deducere, priorem esse introductionem formae novae ipsa expulsiōne antiquae; cum potius esse posteriori deducere debuissem, ut rem etiam leviter consideranti patebit; quod adnotare placuit, ne aliquis ex tali relatione meę sententiae me censet proptus inconsideratum in hac re, in qua quid sit dicendum consequenter ad illi dicta jam resolutio.

ARTICULVS PRIMVS.

Resolutio Quaestii.

134 Haec quaestio decidenda est iuxta dicta in generali de ordine introductionis novae formae, & expulsiōis antiquae *disp. 5. Phyl. qu. 3. art. 2. n. 25.* & *disp. 5. de gen. & corrup. q. 4. nu. 107.* licet enim gratia, & culpa non opponantur inter se formaliter, & ex natura rei, sed tantum moraliter, & ex lege communi, ut dictum est supra num. 39. quoniam tamen haec moralis oppositio aequivalere repugnantia physice, & ex natura rei, eo quia sicut illa, quae physice repugnant, sunt pro

quolibet instanti impossibilia, & in eodem subiecto repugnantia: ita quae repugnant tantum moraliter, stante praefixa lege inter se omnino repugnant: ideo pari proportionem de repugnantia gratiae, & culpa dicendum est perinde, ac si repugnaret ex natura rei, & opponeretur ex oppositiois genere, quod inter formas contrarias reperitur, sicut inter calorem; & frigus: quamvis enim peccatum actuale in privatione consistat debita rectitudinis, habituale tamen quod positum morale importat, aut saltem per quidam explicatur, ut suo loco vilius est. Sicut ergo *loc. cit.* generatim dictum est introductionem formae novae esse naturam priorem expulsiōne antiquae; & illam causalem esse absolute veram quia forma nova inducitur, ideo prior expulsiō: sic pariter in proposito dicimus infusionem gratiae esse naturam priorem expulsiōne peccati, & hanc causalem esse absolute veram quia gratia inducitur, ideo culpa expulsiō.

135 Primò itaque probatur conclusio ex Concil. Trid. expressè docentes ex vi gratiae inherentes, & informans remitti peccatum adeo, ut haec causalitas sit vera quia gratia inducitur, ideo culpa expulsiō; ita habetur *sess. 5.* in decreto de peccato originali *can. 5.* ubi dicitur, *per gratiam tolli totum id, quod veteram, & propriam peccatorum rationem habet, & libidit deinde per gratiam non veterem hominem exure, & inducere novum; & sess. 6. can. 7.* assignans causam formalem nostrae justificationis inquit, quod eius unica formalis causa est iustitia Dei, non quia ipse iustus est, sed quia nos iustos facit; si ergo per gratiam tollitur peccatum secundum Trid. ergo gratia est causa ablationis peccati; & si per gratiam veterem exiimus hominem induentes novum, ergo vi gratiae mundamur à peccato; Et si gratia est unica causa formalis nostrae justificationis, ergo gratia est causa expulsiōis peccati, probatur consequentia, quia iustificatio Trid. *c. 7. et. c.* includit peccatorum remissionem, cum inquit, *non solum peccatorum remissionem, sed etiam iustificationem, ut ergo gratia sit unica formalis causa justificationis, debet esse causa non tantum iustificationis, sed & remissionis peccatorum; ergo, opposita opinio asserens in justificatione prius potius à Deo remissionem peccatorum dependere ab infusione gratiae, & p. 1. ita gratiam infundit, ita gratia infuso nullo modo induit in remissionem peccatorum, sed eam posteriori natura consequatur, directè militat contra doctrinam Concil. Trid. haec enim ratio non est adequata causa justificationis, siquidem non esset causa remissionis peccati, quam essentialiter dicit iustificatio, & consequenter nec esset perfectio sanctitas, nec unica effectus formalis causa nostrae justificationis. Conf. quia Concil. *can. 11.* statuit hominem non justificari, & mudari à peccatis, *sola favore, Dei extrinseco; & si remissio peccatorum natura praecedat gratiae infusionem, & sit independentem ab ea à Deo immediate in genere causae efficientis; iam haec peccatorum remissio fieret per solum favorem Dei extrinsecum, & non per formam supernaturalem homini intrinsece inherentem contra expressam Conc. doctrinam.**

136 Secundo probatur ratione, quia prius censetur causam formalem esse, quam effectum, sed remissio peccati comparatur ad gratiam, tanquam effectus formalis ad ius causam ex Trid. cit. iuxta cuius doctrinam haec causalitas omnino vera est, quod peccatum ab anima expulsiō, quia gratia inducitur, ergo &c. Resp. Adversarii expulsiōnem peccati se habere tanquam dispositionem ad gratiam in genere materialis causae, quia non potest gratia recipi in anima peccato infecta, unde sicut haec ratio antecedenter ad introductionem formae ignis tollitur à ligno frigus, & humiditas, vel obstantia introductioni illius; ita pariter ob eandem rationem antecedenter ad gratiae infusionem debet à Deo immediate deleri peccatum ab anima, ut eius introductioni obstant. Sed Contra, quia Conc. inquit retractationem peccati utique esse dispositionem ad gratia infusionem, non verò ipsam peccati expulsiōnem; imò dicitur verbis hanc inquit esse effectum gratiae in genere causae formalis, ut effectus formalis nequit esse propriè loquendo dispositio ad formam, cuius est effectus. Neque necessarium est ad gratiae introductionem, quod culpa antecedenter fuerit ab anima desulsa; sed absolute sufficit, si tunc temporis in anima non reperitur, cum gratia inducitur ad quod parum refert, quod culpa prius natura fuerit expulsa, ut dicunt Adversarii, vel quod tunc primo expellatur, ut nos diximus; ex quo manifestè inferitur minime opus esse, quod expulsiō culpae antecedat introductionem gratiae, sed sufficere, si eam comitetur, vel sequatur. Dices, si tunc primò culpa expellatur, & non potius antecedenter expulsa fuit, ergo pro aliquo instanti erunt simul peccatum, & gratia. Negatur sequela, non enim opus est, quod gratia inveniatur culpam in anima, ut eam expellere dicatur, quia illam non expellit, sicut clavus clavum trudit, ut inf. declarabitur.

137 Tertiò probatur ex generali ratione, qua probatum est *loc. cit.* introductionem formae novae priorem esse naturam expulsiōne antiquae; quia cum haec expulsiō dicatur effectus







no esset prior natura; ergo in eo prior esset ille amicus, quia sine culpa, & etiam non amicus, quia non habens gratiam, sine qua nullus est amicus, & est secundum argumentum Scoti ad oppositum 4. dist. 16. quaest. 2. Itaque dicendum per instans naturam non mensurari rerum existentiam, vel formam, & privationem; sed per ordinem, & prioritatem naturae explicari solum dependentiam posterioris a priori, vel talem praesuppositionem unius ab alio, ut illud concipi possit, isto non concepto, ut dicitur etiam in 9. log. quaest. 2. art. 2. unde quia hominem esse amicum est habere gratiam, sed gratiam in ipso existere, ideo haec verificari nequeunt de homine nisi pro aliquo instanti temporis, vel durationis: non autem pro aliquo instanti naturae, quia instantia naturae rerum existentiam non mensurant.

148. Quartum arguit Hiribarnes ex verbis Concilii Tridentini, sess. 6. cap. 7. cum inquit, hanc dispositionem, seu preparationem justificationis ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed & satisfactio, & iniuria: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec simul accipit homo, ubi cum prius ponatur remissionem, & postea justificationem, per se videtur insinuat remissionem peccati priorem esse ordine generationis, quam infusionem gratiae. Respondet si argumentum valet, & probat remissionem peccati antecedere sanctificationem, ita ut ab hac non processat, nec sit posterior gratia infusa, neque in totum huius peccatum remittatur, quod sanè dici nequit, aliàs gratia non esset remissiva peccati, nec forma adequatae sanctificationis ut Concilii. dicitur verbis toto illo capite docti, & inculcati dicendum itaque intentum Concilii in hoc loco fuisse solum ostendere, in justificatione non dari solum peccatorum remissionem abque interna sanctificatione, ut nonnulli dicebant Novatores; nec solum gratiae infusionem sine peccatorum remissione; sed utrumque in justificatione includi & remissionem peccatorum, & internam sanctificationem per formam inhaerentem; unde abique ullo prioris mysterio prius posita est remissio peccatorum, posterior interna sanctificatio, ut notavit Oviedo, contr. a. n. 24. unde etiam sepe Concilium dixit, ac etiam in illo eodem capite, gratiam esse unicam formam justificationis, & perfectam sanctitatem, ex vi cuius nihil peccati remanet in homine: ex quibus satis clarè inferitur remissionem peccatorum à positiva sanctificatione procedere, ut ejus effectum formalem secundarium.

149. Quinto ulterius arguitur, quia nullus est effectus positivus, seu primarius in gratia, ratione cuius ei competat, ut effectus negativus, & secundarius expulsi peccati; eo modo quo effectus primario caloris convenit secundarius expellendi frigoris ab eodem subiecto; ergo abique sufficienti fundamento tribuitur illi hic effectus.

Respondet distinguendo antecedens; physice, & ex natura rei transeat; moraliter, & ex institutione divina, nego; imò Suarez lib. 7. de gratia cap. 12. num. 111 per se ostendit omnes effectus positivos, & primarios, qui gratiae tribui solent, connaturaliter inducere, saltem ex ordinatione divina, hunc fecundarium, & negativum effectum expellendi culpam; hoc enim in primis deducitur ex effectu sanctificandi, & ex ratione sanctificandi; nam iustitia infusa est sanctitas animae ex Trident. loc. cit. sed sanctitas secum formaliter adducit munditiam à peccato, nam illud est sanctum, quod est mundum, & immaculatum; ergo connaturaliter est gratiae excludere formaliter peccatum. Hoc etiam deducitur ex alio effectu faciendi hominem iustum, illumque constituendi cum perfecto iustitiae ordine, quatenus voluntatem hominis, & omnes illius potentias perfectè subicit Deo; peccatum verò inducit omnium deordinationem, quia ratione peccatum dicitur iniustitia, & habens peccatum iniustum; ergo etiam ex hoc capite habet formalem incompossibilitatem cum peccato. Item gratia constituit hominem Dei amicum, & obiectum dilectionis eius; peccatum verò inimicum, & obiectum odii; ergo etiam ex hoc capite petit gratia expulsiōnem peccati; Denique hoc etiam sibi convenit ex aliis effectibus, qui ei tribuuntur, constituendi hominem participem divinae naturae, filium Dei adoptivum, & vitæ aeternae heredem, i quibus effectibus peccatum opponitur.

150. Dices, gratiam non tribuere hos effectus, nisi conjunctionem cum negatione peccati; atque ideo antecedenter ad remissionem peccati, seu ad negationem illius non intelligi hominem participem divinae naturae, nec beatitudinis heredem, nec sanctum, nec iustum &c. in his enim omnibus effectibus includitur remissio, hoc nego peccati, quapropter non videtur ab eis procedere posse. Respondet, caritatem peccati ad hos effectus pertinere, tanquam removens, prohibens illorum efficaciam, seu quasi formalem actum secundum illorum; non verò quia ipsa positivè ad illos effectus exercendos conducatur; siquidem in puro itaru naturae nudè daretur in homine talis carentia peccati, neque propter effectus iustus, sanctus, Dei amicus, & filius adoptivus, sicut modo per gratiam formaliter continetur, vel ex naturae rei, ut dicunt Thomistae, vel ex

peculiari institutione divina, ut dicunt Thomistae, vel ex peculiari institutione divina, ut nos dicimus. In factis adhuc, si carentia peccati spectat ad hos effectus, ut removens prohibens illorum efficaciam; ergo illius praesens debet, vel praecedere, non autem subsequi; consequentia probatur, haec enim ratione antecedenter ad infusionem formae ignis in ligno, tolluntur frigus, & humiditas, ut obicem potentia ejus introductioni. Negatur consequentia, non enim omnia obstantia, & impediencia effectum aliquem, tolluntur semper antecedenter ad ipsum, sed interdum etiam concomitanter, vel consequenter; unde in exemplo alio trique frigus tollitur antecedenter ad formam ignis inductionem, sed citrà gradum pro forma ligni determinatum, hic enim sicut & ipsa forma ligni ad ipsam ingreſsum formae novae corrumpitur, unde forma vetus est obex, qui tollitur concomitanter, & consequenter, non autem antecedenter: sic pariter fractio filii, vel ligni detinentis grave sursum spectat ad motum gravis deorsum, ut removens prohibens, & tamen haec detentio prohibens motum gravis deorsum non semper tollitur per fractionem filii, vel ligni antecedenter ad illum motum, sed multoties concomitanter cum ipso, seu per ipsum motum; ergo opus non est omnia impediencia aliquem tolli antecedenter ad ipsum, ut perspicue constat in aliis exemplis; sed sufficit si tollantur concomitanter, vel consequenter, & hoc modo tollitur in re nostra peccatum per supra dictos effectus positivos gratiae sanctificantis. Ex contris tandem potest explicari Doctor 1. dist. 17. quaest. 2. §. contra, dicit inquit prius natura Deum remittere offensam peccatori, quam det ei gratiam.

QUESTIO SEXTA.

An gratia habitualis sit ipsa virtus caritatis, vel potius habitus ab ea distinctus, ubi de eorum immediata subiecto.

151. Res in hac Controversia sunt sententiae; Prima est Thomistarum realiter distinguendum habitum gratiae ab habitu caritatis, illumque immediatè in essentia animae substantiantium, hunc verò immediatè in ipsa voluntate; ita D. Thomas par. 2. qu. 110. art. 2. ubi Thomistae omnes Cajet. Medina, Capreol. Ferraricus. Serra, Haquet. Valena. Suarez, Tannerus, Zunel, Beccan. Graecus. Curiel. Amicus, Aversa, Cappelis, Oviedo, Lezana, & alii. Alia sententia est Scottitarum, & Nominalium, asserens gratiam habitualement non esse habitum realiter distinctum ab habitu caritatis, & ac proinde non esse in essentia animae immediatè, sed in voluntate, in qua est caritas, esse unam, & eandem formam supernaturalem, quae habet duo nomina propter duo distincta numerata; vocarique gratiam justificantem, quatenus non Deo gratus, & iustus efficit, & vocari habitum caritatis, quatenus est principium producens actum caritatis; ita ex antiquioribus Scotus 2. dist. 27. Henricus, Riccard. Durand. Baeccon. Gabriel, Marfilus, Oeham, Maior, Rubion, Malronus, Bafolius, item Recentiores Scottici, Faber, Vulpes, Poncius, Hiques, Rada, Saxius, Vega, & plurimi Neutrales Bellarm. Salmeron, Moracius, Lessus, Molina, Coninchius, & alii. Tertia denique sententia utramque opinionem docet esse probabilem, eo quod natura sufficiens habeat fundamentum auctoritatis, nec ratio nis, ita Valquez par. 2. dist. 198. cap. 3. Silvius par. 2. qu. 110. art. 3. Morandus in 2. 4. qu. 9. & alii nonnulli argumenta solventes pro utraque parte.

ARTICULUS PRIMUS.

Gratia habitualis, & caritas, sunt eadem virtus.

152. Ita Scotus 2. dist. 27. cit. cum omnibus Scotticis, Nominalibus, & Neutralibus citatis, quod probat Primò; quia excellentia omnes, & effectus qui tribuuntur gratiae à Scripturis, & Patribus, tribuuntur etiam caritati; ergo erunt eadem virtus, & idem habitus, non diverſi; consequentia patet, quia fact ex diversitate effectuum arguimus diversitatem formarum, ita ex identitate identitatem; probatur asumptum, dicendo per singulos, & precipuos gratiae sanctificantis effectus: primus enim effectus gratiae est facere hominem Deo gratum, & dilectum; hoc etiam facit caritas Jo. 14. qui diligit me diligitur à Patre meo secundum quod iustificat à peccato, & hoc facit caritas Luc. 7. remittitur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertius est transferre de morte ad vitam, quod maxime convenit caritati. Jo. 3. translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Quartus est facere filios Dei adoptivos, quod etiam caritas facit. Jo. 3. videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, & sumus. Denique, inquit Doctor, utraque formaliter, & equaliter dividit inter filios Dei, & perditio-

tionis ex August. 15. de Trinit. cap. 18. utraque est etiam forma virtutum, & neutra potest esse informis; utraque etiam conigit ultimo fini perfecta conjunctione, qualis potest esse in via, si ergo gratia, & caritas habent eoldem formales effectus, non possunt esse forma inter se realiter distinctae.

153. Respondet Amicus cum aliis dist. 29. sect. 2. duplicem hoc causam, quae sunt propria gratiae tribui caritati, & est conversio; tum propter mutuum conjunctionem, & inseparabilitatem; tum quia actus caritatis est proxima dispositio ad gratiam, solummodo autem interdum, quae sunt propria formae, tribuere proximè dispositioni ejusdem, unde omnia quae in argumentum adducuntur, verificatur de gratia formaliter, de caritate verò dispositivè, nam actus caritatis disponit hominem, ut fiat Deo gratus, ut remittatur ei peccata, ut transferatur de morte ad vitam, & ut fiat filius Dei adoptivus. Negant autem absolute loquendo gratiam, & caritatem quoad omnia inter se convenire, tum quia in illis ipsis, in quibus conveniunt, diverso modo conveniunt. Tum quia differunt in propriis effectibus formalibus constitutivis filium adoptivum, & obiectum divinae amicitiae, quod est proprium gratiae; & dilectivum Dei, quod est proprium caritatis, quatenus eum constituit in actu primo proximo ad diligendum Deum.

154. Ceterum hoc totum voluntarie dicitur, nimirum illa loca intelligi debere de caritate actuali, seu de actu caritatis, qui est dispositio ad gratiam, cui proinde in hoc sensu tribui possunt effectus formae justificantis; quia mirum esset, quod Scriptura, quae toties loquitur de caritate, & effectibus eius, nunquam loqueretur de caritate habituali, quae est theologica virtus, sed semper de actuali; & quidem licet in quibusdam ex locis adductis sermo fieri videatur de caritate actuali, in ultimo tamen expressè fit sermo de habituali, dum inquit, videte qualem caritatem, &c. Neque valet, quod inquit Beccanus, locum illum intelligi non debere de caritate quae in nobis est, sed de caritate Dei, quia ipse non diligit, ut sensus sit, videre quanta fit caritas Dei erga nos, ut voluerit nos nominari, & esse filios suos, non quidem per naturam, sed gratiam adoptionis. Non valet, inquit, cum enim dicitur, videte qualem caritatem dedit nobis Pater palam est effectus locum de caritate, quam nobis dedit, & non de caritate, quae est in ipso, & quae nos diligit. Tum quia in aliis pluribus Scripturae locis effectus illi expressè tribuuntur caritati habituali, ut ad Eph. 1. elegit nos in ipso, ut effusus sanguis, & electi in conspectu ipsius in caritate, & 1. Petri 4. Caritas operis multitudine peccatorum, & alibi frequenter. Differentia verò illa, quod gratia reddit nos Deo gratos, & dilectos, caritas verò Deum nobis charum, & dilectum, inquit Doctor l. c. quod non inferit inter illa distinctio nem tealem, sed tantum formalem, vel potius ratione connotati, quia licet sint unus habitus, per distincta tamen formalitates constituantur in esse gratiae, & caritatis; quatenus idem absolutum, ut respicit Deum libi ratione diligibilis, & dilecti, & est in nobis principium dilectionis Dei, dicitur caritas, quia secundum commune loquendi usum, inferiores dicuntur habere caros superiores, ut verò illud idem absolutum est id, quod mediante Deo me habet gratum, & obiectum sit divinae dilectionis, & acceptationis, sic dicitur gratia, quia juxta eundem commune usum loquendi, superiores dicuntur habere inferiores gratos, & acceptos; quae planè diversitas, ut de se manifestum est, non inferit distinctionem inter illa duo quod ad absolutum & principale significatum, sed tantum quoad connotata, & penes diversas habitudines super idem absolutum fundatas, quo pacto dicere solemus inter se differre creationem, & conservationem; prandium, & cenam, & alia, quae tantum differunt penes connotata.

155. Alii verò communis dicunt, ut in prima parte allatè responsionis innuitur, effectus gratiae tribui caritati, non quia caritati convenienter secundum se, sed propter concomitantiam, & inseparabilitatem ab habitu gratiae ex natura rei, aut saltem de lege ordinaria, ita Serra, Cappelis, Aversa, Lezana, & alii Thomistae passim. Sed quanto hac responsio est communior tantò mihi videtur imbecillior, etenim videmus in aliis necessitatibus, & naturalem connexionem duarum formarum in eodem subiecto non esse sufficientem, ut proprietates, & effectus formales unius tribuantur alteri promiscuè; sic v. g. in lacte ex natura rei connectitur albedo, & dulcedo, in nive albedo, & frigiditas, nec propterea dicimus albedinem lactis immutare gustum, & dulcedinem digregare visum; sed non obstante tali necessaria connectione, singuli effectus singulis formis singillatim tribuuntur; ergo idem pariter dicendum est in proposito, non sufficere solum concomitantiam, & necessariam connexionem caritatis, & gratiae, ut proprietates, & effectus istius tribuantur illi indiscriminatim; Dices, in igne ob naturalem connexionem caloris cum frigiditate, effectus unius qualitatibus tribui alteri; dicimus enim caliditatem defecare ratione adiuncti, nimirum siccitatis, non verò immediatè, & formaliter. Con-

tra, quia sicut non dicimus siccitatem calefacere; ita neque defecandum est calorem defecare, sed in eo necesse solum dicere postumus calidum defecare, quatenus idem ignis, qui est calidus, cum sic quoque siccus dicitur defecare, non quidem eo calore, sed per siccitatem sibi inhaerentem; cum à Scripturis, & Patribus igitur omnes, & singuli effectus gratiae, tribuantur quoque caritati promiscuè, & indiscriminatim, etiam in abstracto, signum est evidens eandem importare virtutem.

Secunda probatio ex Trident.

156. Secundò probatur ex Concilio Trident. sess. 6. c. ubi dicitur, hominem impium justificari, dum per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cor de ipsius quibus verbis fieri mentionem de gratia sanctificante exploratum est apud omnes, siquidem ex illis verbis inhaerentis, & diffusionis communiter colligitur Theologi gratiam sanctificantem esse formam animae nostrae in intellectu inherentem. Confirmatur ex verbis sequentibus, cum inquit, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cuius interferunt, fidem, spem, & caritatem; at si aliquam aliam formam, ac etiam principalem, qualem Thomistae dicunt esse gratiam, acciperet homo, dum justificatur, indubie Concilium de ea mentionem fecisset. Et cap. 10. inquit, hoc iustitiae incrementum petiit Sancta Ecclesia, cum orat, Da nobis fides, spes, & caritas; augumentum ergo cum ut per iustitiam, seu formam justificantem gratiam intelligat, & deinde c. 10. nomine iustitiae significat caritatem, planè evidens est non distinctè inter gratiam, & caritatem, ut inter diversas virtutes.

157. Respondent immò in cit. cap. ab initio fieri expressam mentionem gratiae, ut à ceteris donis distinctè, cum inquit justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiae, & donorum, & can. 1. distinctis nominibus illa significat, cum damnat dicentes iustitiam anem fieri sola imputatione iustitiae Christi, & sola gratia, & caritate, & quibus infunditur, & inhaerent, loquitur ergo Concilium de forma sanctificante sub nomine gratiae, ut à caritate distinctè; quod si aliquid non facit mentionem gratiae, sed caritatis tantum, ideo est, quia in aliis locis eam commemorat sub expresso nomine gratiae; & cum sint inseparabiliter connexa, eo ipso, quod de una fit mentio, tacitè fit etiam de altera. Sed Contra, quia vis argumenti non in eo consistit, quod Concilium in eo cap. 7. nullam fecerit gratiae mentionem; sed quod nullam fecerit mentionem gratiae, ut distinctè à caritate; & id, quod prius vocavi gratiam, postea vocat caritatem, aperte significans haec ab eo non distingui, ut dona realiter distincta; Neque adducit ad oppositum testimonium con vincunt, nam primum convincit ad summum gratiam distingui ab aliis virtutibus, & donis, nimirum fide, spe, ac ceteris virtutibus moralibus, cum quo adhuc bene consistit à caritate non distingui; A lectum testimonium est potius ad oppositum, non enim inquit exclusa gratia, & caritate, quae nobis infunduntur, sed quae nobis infunduntur, & inhaerent, quae verba in plurali potius poni debuissent, si gratia, & caritas essent formae realiter distinctae, potius ergo ex eo loquendi modo ostenderet gratiam, & caritatem à Trident. confundi, ut synonyma, & ly & simi pro, sive sicut superius cap. 7. gratiam justificantem, & caritatem omnino pro eadem sumptas virtute, & forma inhaerente, ut bene advertit Vega in Concil. lib. 7. cap. 27. Ita ergo Concil. loc. c. gratiam à caritate distinguit in testimonio adductis, ut necessario debet intelligi de distinctione rationis secundum diversas habitudines jam explicatas, vel de formali, non autem reali distinctione.

Tertia probatio ex Patribus.

158. Tertio probatur ex Patribus gratiam à caritate non distinguuntibus, unamque vicissim pro alio iumentibus; sic inter alios specialiter loquitur Augustinus li. de natura, & gratia cap. 24. cum inquit, ipsa caritas est verissima, & plenissima, perfectissimaque iustitia, & lib. 15. de Trinitate. 18. quom locum etiam citavit Scotus, ubi inquit, nullum Dei donum esse excellentius caritate, eamque solum dividere inter filios regni, & filios perditionis, & sine ea nihil prodesse alia Spiritus sancti munera: tract. 9. in 1. Joann. Epist. dicit caritatem esse animae pulchritudinem, quae reddit animam Deo amabilem: & lib. de moribus Eccl. c. 12. & 13. dicit caritatem esse formam sanctificantem animam, & alia similia habet testimonio lib. de gratia, & lib. arb. cap. 17. & serm. 43. & 50. de verbis Domini, quae sunt adeò expressa, ut Pererius ad Rom. 5. dist. 2. ingenue fateatur Augustinum praeter caritatem nullam aliam agnovisse formam sanctificantem, vel gratiam sanctificantem.

159. Respondet Suarez li. 6. de gratia cap. 13. August. loc. c. semper fere locum de dilectione, seu caritate actuali, in quo sentio verissimum est actum caritatis esse excellentius donum inter omnia Spiritus sancti opera; item illam dilectionem esse verissimum